

IV. Opus autem revisum et approbatum fuerit ab Ordinario, qui non permittat ibi apocrypha misceri.

V. Totumque fiat sine scandalo et cum aedificatione populorum. S. C. reg. in Reatina 20. Jan. 1579, in Nolana. 28. Apr., in Assisiensi 18. Mart. 1603. Quare, cum scandala timentur, debent prohiberi. S. C. in Viterbiensi 3. Apr. 1582. Et nullibi fieri sine licentia Episcopi; S. C. C. in una Bracharen. Ad conciliandas praedictas opiniones concludendum est, quod repraesentationes pia ac devotae possint quidem fieri in Ecclesiis, sed cum licentia et approbatione Episcopi. Secus autem non.

REQUIEM AETERN.

(Num cor. SSmo dicendum?)

Vd.: *Expos. SSmi pro Def.* (decr. n. 4645.)
De indulg., si dicitur: Req. aet. ad salut. angelicam, vd. *Indulg.* (Salut. angel.)

REQUIESCA(N)T.

1) In Missa et Absolutione.

Quando *absolutio* est pro uno defuncto, dicitur: *Requiescat*, pro pluribus in plurali; in *Missa* vero semper dicitur: *Requiescant*. n. 2858 die 22. Jan. 1678.

Cf.: *Ite Missa est* (decr. n. 4526).

Diaconus cantat: *Requiescant* in pace versus altare.

Caer. Ep. I. II. cap. XI. n. 9.

2) In Officio a Cantoribus cantatur.

Vd.: *Sepult. Cardinal.* (de ritu etc., ad finem.)

RES GRAVIS.

Vd.: *Missa vot. pro re gravi; Instructio Clem. §. 12. n. 19.*

RESIDENTIA.

1) Archidiaconi.

Vd.: *Resid.* (Episcopi.)

Vici Aquen.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Constructo jam processu in hac Curia Episcopali ad instantiam promotoris fiscalis contra Franciscum Ferrignum Archidiaconum illius Ecclesiae Cathedralis ex capite non residentiae per fere tredecim annos servatisque terminis a S. C. praescriptis in *cap. 12. sess. 24. de Ref.* Vicarius generalis sententiam privationis Archidiaconatus promulgavit adversus d. Ferrignum. Sed eodem recurrente ad hanc S. C. propositoque dubio: *An constet de legitima privatione Archidiaconatus, de quo agitur?* Responsum fuit: *Negative* sub die 14. Jan. 1708. Verum adhuc perseverante Ferigno in antiqua contumacia non residendi, Curia Episcopalis, ad instantiam sui promotoris fiscalis, novum processum construxit super illius diuturna absentia eumque personaliter citatum in civitate Neapolis, ubi publicam juris lecturam exercere dicitur, et non curantem comparere neque ad residentiam redire per novam sententiam Archidiaconatu privavit, ad cuius majorem comprobationem recursus habuit praedictus fiscalis ad hanc S. C., in qua bina infrascripta dubia procuratori in Curia ex adverso notificata, eoque monito proponuntur hodie EE. VV. ex actis exhibitis et in summar. dandis aliisque deducendis sapienter definienda:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 14. Jan. 1708? Et quatenus in decisis;*

II. *an constet de nova legitima privatione Archidiaconatus, de quo agitur, in casu etc.?*

S. C. C. resp. *ad I.*: In decisis;

ad II.: Affirmative.

Die 3. Aug. 1709.

Tuden.

Postquam anno 1752 de Archidiaconatu nuncupato de Montes in Ecclesia Cathedrali Tudensi provisus fuit a Sancta Sede Franciscus Longorius, preces obtulit Sacro huic Tribunali, quibus petebat dispensationem a residentia ex causa postulationis in causa beatificationis servi Dei Joannis de Avila, obtinuitque dispensationem ad sex menses. Rediit inde anno 1754 aliis precibus, quibus narravit illi dignitati adjunctum non esse onus residentiae praecissae sed tantum causativae, ideoque Emi Patres audire voverunt Tudensem Episcopum, indulta Longorio alia dispensatione ad quatuor menses veris existentibus narratis. Rescripsit Episcopus dignitatem illam esse praecise residentialem; praecessores omnes Longorii resedissee, ultimis duobus exceptis, qui abfuerunt cum dispensatione ex causa infirmitatis. Nullam a Longorio absentiae justam causam proponi, ideoque ei non esse auscultandum. Haec epistola Episcopi, qua de causa ignoratur, Emi Patribus reddita non fuit. Longorius igitur novas obtulit preces prorogationem postulans ob moram Episcopi. His precibus rescriptum fuit: „Dentur novae literae et interim ad tres menses“; aliam inde prorogationem obtinuit ad quatuor menses amissis etc., qua transacta, cum adversa valetudine distineretur, aliam obtinuit ad quatuor menses. Cum vero interim Capitulo Tudensi instante injecta fuisset sequestratio redditibus Archidiaconatus, Longorius novas preces obtulit, quibus petebat, ut Capitulum compelleretur ad proponendas hujus sequestrationis rationes. Rescriptum his fuit die 18. Sept. anno 1758: Episcopo pro informatione et voto audito Capitulo eique praefixo termino ad deducenda jura sua in s. Congregatione.

Advenerunt novae literae ab Episcopo, quibus rem omnem narravit, sed Longorius questus est de attentatis, quod lite pendente sequestratio injecta fuisset, obtinuitque rescriptum: „Dentur novae literae revocato sequestro et interim Episcopus praefigat terminum Capitulo ad deducendum Jura sua in Sacra Congregatione.“ Venit igitur in jus Capitulum Tudense et causa omnis tribus capitibus collecta proponitur. Disputat Capitulum ex Tridentini dispositione dignitates annexum habere onus residentiae praecissae. Id nosci ex facto praecessorum omnium; id ex ipsa absentia duorum, qui Longorium in ipsa dignitatis possessione praecesserunt. Abfuerunt enim cum dispensatione, quam non postulassent, si dignitas non fuisset residentialis. Hinc colligit Capitulum, teneri Archidiaconum integros, quos percepit, fructus restituere; nam de tertia eorum parte nulla esse potest disputatio, cum et Tridentini lege et decreto Sacri hujus tribunalis ita constitutum fuerit: de reliquis partibus, quia nullam habuerit Longorius justam causam, ex qua abesse posset.

Hos denique fructus ab eo restituendos ex eadem Tridentini lege fabricae Ecclesiae esse applicandos. Haec Capitulum. Ab Archidiacono Longorio nihil habuimus. Capita sunt:

I. An Dignitas Archidiaconatus de Montes Ecclesiae Cathedralis Tuden. sit residentialis, itaut Archidiaconus Longorius ad eandem residentiam teneatur?

II. An et a qua die idem Archidiaconus teneatur restituere fructus perceptos?

III. An fructus tam percepti quam a die sequestri applicandi sint fabricae Ecclesiae in casu?

S. C. C. resp. *ad I.*: Affirmative;

ad II. et III.: Dilata et exhibeantur indulta una cum libello.

Die 1. Sept. et 24. Nov. 1759.

2) Archiepiscopi.

Vd.: *Resid. Episcopi.*

3) Beneficiatorum.

a) Licentia absendi.

Ad dubium 1.: An Beneficiati abfuturi ab Ecclesia per octiduum et ultra teneantur indicare parochi, qui suppleat vices suas?

2.: An iidem Beneficiati ad longum tempus abfuturi teneantur exhibere consensum obtentum ab Ordinario?

3.: An de consensu interessentium absentes haberi possint pro praesentibus ad effectum consequendi distributiones sive, ut ajunt, praesentia?

S. C. C. resp. *ad 1.:* Affirmative quod eos, qui ex fundatione habent onus assistendi parochi vel residendi et amplius;

ad 2.: ut ad proximum et amplius;

ad 3.: servetur decretum Ordinarii et amplius.

Die 14. Mart. 1767.

b) Obligatio.

Vd.: *Resid. paroch.* (decr. die 29. Febr. 1712); *Resid. Capellani.*

Marsicana.

(Conc. Tr. cap. 11. sess. 25. De Refor.)

Autumantes Sacerdotes Joachim Arquatius et Sylvester de Philippis beneficia, Canonicatus nuncupata, asserti annui proventus duc. 10., quae respective obtinent in Ecclesia parochiali terrae Capistrelli, nullo residentiae onere affecta esse, nuper in causa fuerunt, quod Communitas et homines jam d. Oppidi supplicem recursum ad SS. D. N. haberent precibus ad S. C. rejectis,

quo Sanctitas Sua Ecclesiae servitio ab ipsis pessumdato prospicere dignaretur, utque tandem jam d. Beneficiati divinum pensum aliaque ecclesiastica munia praesentes obirent juxta praetensum antiquum morem. Profecto in hac eadem sententia consentit Episcopus, qui adversus praenominatos Joachim et Silvestrum non residentes sequestrum apposuit super eorundem Beneficiorum fructibus, potissimum quibusdam visitationum decretis innixus jam olim editis ab Episcopo Peretto de anno 1626 ejusque successore Episcopo Columna de anno 1636, in quibus sane sub expressa multa Abbati et Canonicis ejusdem Ecclesiae onus jungitur sacrum in aurora faciendi, tradendi pueris prima Christianae fidei rudimenta, statis horis saltem diebus festis divina Officia celebrandi et praesertim in visitatione praelaudati Episcopi Columnae saepedictis Canonicis inhibetur ne solemnitates alibi celebraturi accederent, propriae Ecclesiae servitium negligendo, sub unius ducati poena, ut latius ex Episcopi relatione aliisque juribus in summario exhibendis. Verum jam dictis duobus Praebendatis pro libertate eorum respective beneficiorum insistentibus atque proclamantibus, sequestrum non minus injuste quam nulliter relaxatum a Curia Episcopali fuisse absque praevia citatione, hinc concordatis inter Patres infrascriptis dubiis humiliter quaeritur ab EE. VV. sapienter declarari:

1. *An Beneficiati Terrae Capistrelli Canonici nuncupati teneantur residere? et quatenus affirmative;*

2. *An sequestrum relaxatum ab Ordinario super fructibus Beneficiorum sit validum vel potius revocandum veniat in casu?*

S. C. resp. *ad 1.:* Affirmative quoad residentiam tantum pro servitio Ecclesiae ad formam decreti Episcopi;

ad 2.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam et amplius.

Die 25. Junii et 16. Julii 1712.

Provisus ab inferiori Collatore de beneficio personalem residentiam requirente compellendus est per Ordinarium ad residendum.

Declarat. S. C. C. Interpr. ad verba C. Tr.: Residere cogantur etc. (L. 6. cap. 2.; ed. *Gallebart.* 1616 p. 28.)

Salisburgen.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Pene neglectum remanserat beneficium sub invocatione s. Leonardi in loco Puechach, adeo ut nulla ejusdem fundationis custodiretur memoria nulloque onere ac proventus documentum superesset; propterea jam de anno 1652 Archiepiscopus Salisburgensis pro sui munere idem beneficium restauravit ac iterum erexit, sibi ejusque successoribus reservato jure praesentandi Clericum saecularem pro tempore, qui adstrictus foret ter Missae sacrificium celebrare in qualibet hebdomada et festivis diebus ac insuper quolibet Sabbato in Arce Clinicensi, adeo ut beneficiatus, (quemadmodum legitur in fundatione) *si impostum ob indispositionem corporis aut aliis de causis praefatas Missas ipsemet celebrare non posset, is tamen easdem sine defectu ex proprio suo marsupio per alios suppleri et legi faciat.* Pro dote vero hujusce beneficii praeter domum beneficalem et hortulum jam dictus Archiepiscopus assignavit annuum summam florenorum supra 300 ex Ecclesiae s. Leonardi redditibus, qui pia fidelium liberalitate sensim adaucti fuere, uti fusius ex instrumento fundationis in summ. recensendo. Profecto septemdecim ab hinc annis beneficium hujusmodi obtinuit Bernardinus Pancherius, qui satis

ejusdem oneribus perfungi pro certo habet per alium substitutum, sibi persuadens, quod nullo residentiae onere sit gravatus; hinc promotor fiscalis Curiae Archiepiscopalis Salisburgensis nuper recursum habuit ad hanc S. C., quatenus ipsa decernere dignaretur, jam dictum beneficium personalis residentiae onere esse affectum tum quia ex lege fundationis domus beneficalis assignatur, tum ex eo, quod in casu dumtaxat infirmitatis per alium supplere indulgeatur, ac tandem perspecta opimi ejusdem beneficii dote, et quidem idem promotor subtexit, hujusmodi onus satis compertum jam dudum fuisse praelibato Pancherio, qui in actu collationis prae caeteris hanc declarationem emisit: *Bernardinus Pancherius comparet et ad factam eidem propositionem se judicialiter declaravit primo apud collatum sibi beneficium s. Leonardi in Puechach personaliter residere et eidem annexas funciones ipsemet peragere, secundo absque habita superiorum licentia ab eodem nequaquam abesse neque se absentare.* Reportata itaque Consistorii Archiepiscopalis informatione ac indicto competenti termino ipsi Pancherio, ut iudicio S. C. sisteret, sub die 11. Junii ultimo elapsi, relatae fuerunt preces per summar. exindeque in ejusdem contumacia rescriptum prodiit: *Beneficium esse residentiale et ordinarius procedat ser. ser. contra beneficiatum.* Hinc sane excitatus saepedictus Bernardinus Pancherius enixe in praesenti contendit, quod nullo residendi onere praegravari possit, inspecto tenore erectionis beneficii, ex qua Clericum institui possedicitur, caeteroquin vero subdit, fundatorem nil aliud cavisse, nisi quod Sacrificia omnino offerantur per substitutum, etiamsi rector morbo vexaretur, quodve nullius momenti haberi debeat asserta declaratio ex supposita causa

ab ipso in actu collationis extorta. Tandem Orator ipse prosequitur, quod alterius opera procul dubio uti potest in beneficii oneribus explendis juxta expressam foundationis indulgentiam, cum adversa prematur valetudine, quemadmodum ex documentis in summar. recensendis liquere asserit. Quapropter concordatis infrascriptis dubiis EE. VV. erit decernere:

1. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 21. praeteriti mensis Junii? et quatenus in decisis;*

2. *an modernus beneficiatus possit per alium supplere in casu?*

S. C. C. resp. ad 1.: In Decisis; ad 2.: Doceat de legitimo impedimento coram Ordinario et amplius.

Die 21. Jan. et 4. Febr. 1713.

Beneficium seu Capellaniam censerit residentialem, quae adnexam habet servitium chori in Cathedr. vel Colleg. Ecclesia.

S. C. C. die 16. Nov. 1708 *Nepe- sina*; 5. Sept. 1710.

Quum beneficio simplici in *fundatione* onus esset adjectum, ut „Sacerdos ad illud electus et confirmatus teneatur et debeat in perpetuum de die ac nocte in Ecclesia cum Presbyteris et Canonicis interesse horis et divinis ac sol. Officiis, nisi justo et canonico impedimento fuerit impeditus“, quamvis *nunquam* possessores *residentiam praestitissent*, nihilominus S. C. censuit: possessorem ad residentiam teneri neque ab ea esse dispensandum.

Die 14. Dec. 1833 *Mutinen.*

Capellaniam, cujus possessori onus sublevandi parochum et sacrificandi diebus festis singulis incumbere plures visitationes et ipsa consuetudo probant, non esse simplex beneficium sed residentiale.

S. C. C. die 13. Julii 1743 *Sub- lacen ad I.*

Fanen.

(Conc. Tr. cap. 4. 5. sess. 25. De Ref.)

Vigore notissimae Constitutionis, quae incipit *Instaurandae*, promulgatae a sa. me. Innocentio X. de anno 1652, suppressus fuit parvus Conventus s. Blasii de Brettino P. Eremitarum s. Augustini existen. intra fines parochiae Villae Ronchi Sambacci, cujus redditus a tunc temporis Episcopo cum Consilio Capituli mediante approbatione S. C. super statu Regularium fuerunt conversi in erectionem Capellaniae sub hac lege: Il Convento di s. Biagio di Brettino de' PP. Agostiniani fuori della Città tre miglia, d'entrata di scudi cento in circa, si può applicare per un Capellano perpetuo, che risiedi, ajuti it Parocho nella cura delle anime, celebri le feste di precetto, e di divozione, et anco fra settimana, secondo che li sarà prescritto dall' Ordinario, e con tal celebrazione sodisfaci gli obblighi, che vi saranno. Fuit exinde primo provisus de d. Capellania Franciscus Santolinus cum honoribus et oneribus ac obligationibus residenti in dicta Ecclesia in auxilium animarum parochiae ibique celebrandi singulis diebus festivis vel devotione et, quando in hebdomada non occurreret aliquis dies festus, celebrandi etiam feria quarta et Sabato, quemadmodum legitur in decreto provisionis. Ac pari modo cum obligatione personalis residentiae eam assecuti fuerunt alii Capellani successores.

Possidet modo Capellaniam Joseph Ferrinus, qui eam sibi impetravit ab Apostolica Sede ob non residentiam sui Antecessoris ab anno 1691, qui quidem de anno 1698 recursum habuit ad hanc S. C. pro exemptione ab obligatione residendi sub praetextu, quod ejus Praedecessores idem onus non adimpleverint. Verum rejectae fuerunt ejus preces, quemadmodum etiam eve-

rit in S. C. Ep., ad quam Ferrinus similem recursum habuerat; atqui de anno sequenti 1699 conquerente etiam parochus Villae Ronchi Sambacci destituti auxilio Ferrini institit in hac S. C. promotor fiscalis illius Curiae Episcopalis ad effectum cogendi Ferrinum ad residentiam et eadem S. C. stetit in decisis et hujusmodi causam amplius non proponi mandavit. Nuper vero de mense Januarii anni praeterlapse 1710 novus advenit recursus nomine populi d. Villae Ronchi adversus Ferrinum non residentem et decreta S. C. eludentem; unde haec eadem S. C. injunxit Episcopo Fanen., quatenus juxta enunciata S. C. decreta procedere non omitteret. In vim cujus mandati idem Antistes praeceptum tulit adversus Ferrinum, ut statim se recipere deberet ad residentiam sui beneficii, ab eaque non deberet ullo sub praetextu vel quaesito colore unquam discedere, neque de die neque de nocte sine ejusdem Antistitis vel ejus Vicarii generalis in scriptis licentia sub poenis formalis carcerationis, amissionis beneficii aliarumque poenarum etiam ejus arbitrio infligendarum juxta dispositionem S. C. Trid., S. Canonum et Apostolicarum ac Synodaliū Constitutionum. At vero postmodum Episcopus, firmo in reliquis relicto d. praeepto, illud moderatus fuit, licentiam scilicet impertiendo Ferrino bis tantum in hebdomada dumtaxat de die sese transferendi ad civitatem Fani, relicta tamen idonea persona pro coadjuvando parochus in exercitio curae et adimplendo missarum onere, sed de nocte se reciperet ad residentiam. Ab hujusmodi praeepto gravatus Ferrinus recurrit ad hanc S. C. praetendens ad residentiam teneri non nisi diebus hebdomadae diebus, quibus est affixum sacrificium Missae. Quamobrem informare jussus idem Episcopus Fanen. latius praemissa comprobavit et in folio

separato in summar. dando jura quaedam transmisit, quibus convincere adnuitur Oratoris continuam residentiam. Quamobrem idem Orator ex deducendis humiliter exposcit ab EE. VV. declarationem:

An et quomodo Orator teneatur ad residentiam?

S. C. C. resp.: Teneri ad residentiam continuam prout de jure.

Die 24. Jan. 1711.

Vercellen.

(Conc. Tr. cap. 12. sess. 24. De Ref.)

Extat in Cathedrali Ecclesia Vercellen. Collegium duodecim beneficiorum, qui continuo tenentur Ecclesiae inservire cum cantu Gregoriano in diebus ferialibus et cum figurato in festivis et solemnibus.

Ad titulum horum beneficiorum, ob penuriam Presbyterorum, qui musicam callerent, fuerunt alias ad Sacros Ordines promoti Joannes Bapt. Baracca et Joannes Bapt. Bonadellus, qui paulo post, Ecclesia derelicta, ad alias se contulerunt regiones, primus enim, post lustratam sine habitu clericali totam bene Italiam, a biennio et ultra Venetiis residens. Theatris publicis operas suas locavit et alter post praestitam anno 1695 similem operam in Theatro Laudae abinde citra Patavii moratus est.

Ad consulendum detrimento servitii Ecclesiae et ad occurrendum scandalo publico Capitulum Cathedralis Ecclesiae Vercellen. declarari supplicavit, quod dicti absentes ex causa omnino illicita atque Ordini Sacerdotali injuriosa poenas incurrissent privationis beneficiorum, propositisque in hac S. C. die 15. Dec. 1696 binis sequentibus dubiis, primo: An esset locus privationi beneficiorum in casu? Et quatenus negative; secundo: An et qua poena esset procedendum contra hujusmodi beneficiatos? responsum

fuit: esse locum privationi ad formam Sacri Concilii et Sacrorum Canonum.

Ab anno 1696 usque in praesens multi alii casus contigerunt, in quibus beneficiati se ab Ecclesiae servitio fecerunt absentes; cumque a Capitulo novae preces fuerint huic S. C. exhibitae, in quibus petebatur, quod ad coercendam hanc beneficiatorum absentiam adversus absentes statim procedi posset ad poenam privationis, utpote adversus ipsos ipso jure in statuto impositam, nisi causa absentiae fuisset a Capitulo approbata, dictum fuit, quod causa proponeretur in folio citatis dictis beneficiatis.

Porro beneficiati Cathedralis Ecclesiae Vercellen. ultro admittunt, quod procedatur adversus absentes, sed ad formam Concilii et Sacrorum Canonum, juxta ea, quae fuerunt resoluta ab hac S. C. die 15. Dec. 1696, uti supra dictum fuit.

Absque eo, quod vindicare valeat locum adversus absentes poena privationis ipso jure inflictam, uti contenditur a Capitulo, quia Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de Refor.* praescripsit, quid in primo anno, quid in secundo et quid in tertio absentiae fieri debeat, quae trium annorum dilatio poenae privationis ipso jure incurrendae adversatur, tum quia statutum, ex quo haec poena desumitur, non fuit a Sede Apostolica confirmatum nec fuit unquam usu receptum nec beneficiati eidem subiecti dici possunt, ex quo facultas Canonicis concessa in erectione Collegii beneficiatorum auctoritatem importat ordinationes et statuta faciendi, quibus essent beneficiati subiecti, sed in his, quae directionem chori et divinorum Officiorum celebrationem respiciunt.

Capitulum e contra praemittit, quod intantum ab hac S. C. die 15. Dec. 1696 resolutum fuit, quod adversus

beneficiatos absentes non procederetur ad privationem beneficiorum absolute et simpliciter, sed ad tramites tantum Sacri Concilii Tridentini et Sacrorum Canonum, in quantum non fuit S. C. expositum, quod in statuto inflictam erat beneficiatis poena privationis ipso jure in casu absentiae sine causa a Capitulo approbata, asserendo, quod si praedicta statuti circumstantia fuisset exposita, S. C. respondisset, quod procederetur adversus absentes ad formam statuti, simili modo quo, cum in materia residentiae Canonicorum Vercellensium Episcopus decrevisset, eam esse peragendam ad formam Sacri Concilii Tridentini et non consuetudinis et statutorum, Sacra Congregatio die 2. Aug. 1670, cui antiqua consuetudo una cum statutis fuit exposita, respondit: Consuetudinem esse servandum ad formam statutorum.

Hoc praemisso Capitulum subdit debere esse locum privationi ipso jure adversus absentes, nisi absentiae causa fuerit a se approbata, cum id fuerit praescriptum in statuto condito anno 1586, et cum in erectione Collegii beneficiatorum, secuta anno 1581, fuerit ipsis demandatum in Bulla Apostolica, quod parerent constitutionibus, ordinationibus et statutis tam factis quam faciendis ab ipso Capitulo.

Nec Canonici putant id Saero Concilio Tridentino adversari, tum quia valent statuta circa privationem ipso jure ob non residentiam, juxta *Abbatem in cap. Quoniam §. Porro n. 11. ut lite non contestatur*, ut multo magis, quando expectatio triennalis tantum abest, quod absentes coerceat, quod, experientia teste, constat, nihil ad dictum effectum prodesse; tum quia conciliaris dispositio, quae procedit in canonicis et beneficiatis, non videtur applicabilis hypothese praesenti, in qua agitur de beneficiatis musicis, ex quorum absentia contingit, quod Ecclesia

caret musica; musica etenim seu cantus figuratus ex pluribus vocibus componitur et si aliquae desunt, musica haberi non potest, et tandem, quia statutum adeo laudabile esse videtur, ut apostolicam mereatur confirmationem, pro qua obtinenda Capitulum enixe supplicat.

Dignabuntur ergo EE. VV. decernere:

An et quomodo sit procedendum adversus beneficiatos non residentes in casu?

S. C. C. resp.: Procedendum adversus non residentes ad tramites Concilii Tridentini et quoad beneficiatos in theatris canentibus Ordinarius nomine S. C. imponat poenam privationis eidem.

Die 1. Oct. 1720.

Aquilana.

Bernardinus de Ludovicis in testamento, quod condidit anno 1707, jussit fundari in parochiali Ecclesia Villae Termini capellaniam cum eo Missarum onere, quod executoribus visum esset congruum. In ejusdem capellaniae dotem praeter alia bona assignavit suam domum, in qua capellanum voluit residere. Cum enim eandem capellaniam primo loco destinasset Antonio Cerasolo, haec subiecit verba: „Sia obbligato a risedere in detta mia casa lasciata per detto effetto“ — deinde haec etiam addidit: „Soggiunge, che la casa, dove al presente, habita detto Don Bernardino, non si abbia a vendere, ne permutare per qualsivoglia causa, ma quella resti in beneficio di detto Don Antonio capellano ed in futurum per gl'altri capellani pro tempore, come anche le botti di vino, arche di grano, ed altri tavolini, sedie, ed altro, che in detta casa, e che li capellani in futurum non le possino vendere, nè impegnare, nè permutare, ma restino sempre per li futuri capellani.“

Facta juxta normam a testatore praescriptam et ab ordinario approbatam fundatione capellaniae cum declaratione, quod a capellano celebrandae essent quatuor Missae unaquaque hebdomada, obtinuit praedictus Antonius Cerasolus eandem capellaniam, cujus annui proventus constituunt summam ducatorum circiter quinque et sexaginta. Sed cum ipse nuper fuerit assecutus etiam beneficium parochiale in dioecesi Reatina, ii, ad quos pertinet juspatronatus capellaniae, existimantes eam propter injunctam residentiam in domo fundatoris esse incompatibilem cum beneficio parochiali, vi cujus alibi residere oportet Cerasolum, nominarunt alterum capellanum.

Huic autem nominationi reclamavit Cerasolus putans sibi licere utroque beneficio simul potiri. Inquit enim incompatibilitatem adstrui quidem non posse ex onere Missarum, quae celebrari debent in parochiali Ecclesia Villae Termini, cum non fuerit jussus capellanus celebrare per se ipsum, adeoque huic oneri recte satisfacere possit per alium, ut fuse firmatum fuit a Rot. decis. 825. coram Merlin, quam pluries amplexa fuit haec S. C., ac praesertim in Romana capellaniae 29. Aug. 1722, ut in lib. 72. decr. p. 415. Quamquam ex conjecturis suadentibus aliam fuisse mentem fundatoris, secundum ea, quae copiose tradit Fagnan. in cap. „ut Abbates“, a n. 60. ad 89. de aetat. et qualit., contrarium definierit eadem S. C. in civitatis Plebis 15. Decemb. 1708 et 29. Martii 1710, et in Romana capellaniae 13. Martii 1709, et in Bononien. capellaniae 1. Junii ejusdem anni.

Itaque ubi capellaniae non inhaereat conditio celebrandi Missas in alia Ecclesia per se ipsum, incompatibilem eam non esse cum beneficio parochiali respondit haec S. C. in Novarien.

12. Dec. 1705 lib. 55. decret. p. 437, et in civitatis Castelli legatorum piorum 19. Maii 1708 lib. 58. decret. p. 177. Ex diverso autem non posse Ecclesiam parochialem retineri simul cum capellania exigente celebrationem Missarum per se ipsum in diversa Ecclesia, rescriptum est in Neapolitana capellaniarum 14. Apr. 1725 ad I. dub. lib. 75. decret. p. 171, et in Romana 17. Jan. 1728 lib. 78. decret. p. 1.

Quantum vero attinet ad alteram conditionem a fundatore adjectam de residendo in ejus domo, quam dixit in hunc finem ab eo relictam fuisse, contendit Cerasolus non inde effici capellaniam residentialem ideoque incompatibilem cum Ecclesia parochiali, nam Ecclesia, in qua fundata fuit capellania, non est collegiata nec injunctum fuit capellano ministerium ullum vel in ea Ecclesia vel in tali villa obeundum; ac propterea putat fundatorem eo solum fuisse animo, ut commodum hoc tribueret capellano in ea villa habitare volenti. Est enim certum, non fuisse a testatore impositam capellano legem, ut auxiliarem operam praestaret paroco nec ut in divinis Officiis inserviret Ecclesiae; quo quidem casu valde dubitari posset indictam esse etiam residendi legem, juxta terminos quaestionis, quam tractant Fagnan. in dict. cap. „Ut Abbates“ a n. 89. ad fin. de aetat. et qualit., Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 11. n. 41., Piton. de contro. patron. tom. 1. alleg. 27. et seq., Rot. decis. 399. et seq. coram Merlin.

Ad rem quoque facit resolutio, quam in quadam causa Casalen. olim prodixit ab hac S. C. refert Garz. de benef. part. 7. cap. 1. n. 87., inquit, declaratum fuisse non requiri personalem residentiam in capellania, cujus in fundatione cavebatur, „ut domus capellano aedificaretur, in qua habitaret et divinis serviret et nisi habi-

taret et serviret, posset amoveri et de alio provideri.“

Non absimilis quaestio discussa fuit in Asten. capellaniae, in qua, licet testator, qui capellaniam fundari jusserat, nullam residentiae legem adjecisset, haeres tamen in ipsa fundatione his verbis caverat: „Nominatus ad beneficium teneatur habere domicilium in oppido Villae novae et celebrare personaliter Missas sex qualibet hebdomada in capella B. M. V. gratiarum.“ — Proposito autem dubio ita concepto: „An capellanus teneatur ad onus personalis residentiae et celebrationis per se ipsum?“ die 14. Febr. 1699 rescriptum fuit: Negative, ut in lib. 49. decret. p. 57. Sed non satis constat, cum S. C. ad ita definiendum adducta fuerit, ex quo forsitan censuerit rationem non esse habendam oneris ab executore fundationis adjecti, quod testator minime praescripserat.

Pertinet etiam ad hujusmodi controversiam decisio sacrae Rotae edita in Gerunden. elemosynae panis super residentia 3. Julii 1711 coram Card. Priolo. Quamvis enim fundator constituisset capellanum debere divinis Officiis in choro deservire et Missae sacrificium facere in certo altari necnon inhabitare domum assignatam ad stipem pauperibus largiendam, nihilominus determinatum fuit: non requiri personalem residentiam.

Caeterum circa articulum incompatibilitatis, de qua potissimum agitur in casu proposito, illud etiam est animadvertendum, quod ad inducendam incompatibilitatem non videtur satis esse conditio residentiae causativae, videlicet necessariae ad percipiendum emolumentum destinatum beneficiario residenti, sed annexam esse oportere residentiam „praecisam“, qua non servata fiat locus amissioni tituli ac privationi, ut explicant Hojed. de

incompat. benefic. part. 1. cap. 17. n. 34. Gonzal. ad Regul. 8. Cancellar. Gloss. 15. n. 20 et seqq., Panimoll. decis. 31. annot. 1. n. 4. et seqq. Itaque in Ferrarien. capellaniae disceptato hoc dubio: „An capellania, de qua agitur, sit praecise residentialis, ita ut sit incompatibilis cum alio beneficio residentiali seu parochia?“ S. C. die 3. Martii 1703 respondit: Negative, ut in lib. 53. decr. p. 73. Similisque declaratio prodiit in alia Ferrarien. capellaniae 26. Martii 1707, ubi agebatur de capellania annexum habente onus assistendi singulis horis canonicis aliisque divinis Officiis in Ecclesia Cathedrali; propositoque dubio: „An capellania, de qua agitur, sit residentialis praecise vel causative, itaut capellanus non residens sit illa privandus vel potius distributionibus?“ Rescriptum fuit: esse residentialem causative tantum —, ut in lib. 57. decret. p. 98.

Dicendum igitur erit:

1. An beneficium seu capellania, de qua agitur, habeat onus residentiae et quomodo?

2. An praedictum beneficium sit incompatible cum parochiali in casu?

S. C. C. resp. ad 1.: Capellanum teneri residere ad formam testamenti; ad 2.: Provisum in primo.

Die 2. et 16. Maii 1733.

Auximana.

Testamento, quod condidit anno 1591, Angelus Bianchi fundari jussit capellaniam de jurepatronatus laicali ad altare s. Luciae in Ecclesia parochiali Terrae Appignani, cujus redditus nunc ascendant ad annua scuta 40 circiter; voluitque, ut ad illam praesentaretur coram ordinario instituendus „unus Clericus laudabilis vitae, bonorum morum et idoneae literaturae ac bonae conditionis et famae, qui habeat et

teneatur dictum altare officiare, regere et Divina celebrare temporibus et horis debitis, dicendo quatuor Missas in qualibet hebdomada in eo, videlicet diebus dominicis, die Lunae, Mercurii et Veneris et ulterius in diebus festivis solemnibus, effundendo preces pro Animabus ipsorum.“

Et praeter onera praedicta capellano injuncta praecepit insuper testator, „quod hujusmodi Rector teneatur et obligatus sit residentiam et moram trahere in Terra Appignani suam domum praedictam habitando.“

Demandatam autem residentiam nequaquam fecisse constat primum capellanum Alphonsum Bianchi de Terra Monticuli Camerinensis dioecesis, qui in aetate tredecim annorum fuerat ab ipso testatore nominatus, quique anno 1606 electus fuit Vicarius generalis Recineti idemque munus postea obivit in variis dioecesibus ac tandem anno 1631 Domum Congregationis Oratorii fundavit in eadem Terra Monticuli Patria sua, ubi diem clausit extremum anno 1645: oneribus capellaniae interim adimpletis per substitutum.

Et illius successor Bernard. Bianchi, qui eodem anno 1645, vix adepta capellaniae possessione, substitutum pariter deputavit, duo proposuit dubia in hac S. C., scilicet:

I. An hujusmodi beneficium sit sacerdotale, itaut de illo provisos teneatur per se ipsum Missas celebrare et per substitutum non possit impleri?

II. An personaliter residere teneatur, itaut Emus Episcopus permittere non debeat, ut per alium onera impleri possint?

Quibus die 13. Nov. 1649 responsum est ad I.: Beneficium, de quo agitur, non esse sacerdotale et posse per substitutum onera impleri;